


d. 89, 14.

X 202 3659

11. 149.



D. MATTHIÆ ZIMMERMANNI

Superintend.

ΟΛΟΦΥΡΜΟΣ

Sive

PLANCTUS MISENENSIS,

Inter Spem & Metum

editus,

In Venerabili SYNODO

ab Ic LXXXII. XV. Septembr.

& dicatus

Pl. Reverendo Contubernio
M I S E N E S I.


Sumptibus MICHAELIS GÜNTHERI,

Bibliopolæ Dresdensis.

Typis, CHRISTOPHORI BAUMANNI, 1682.



Solon, cūm ex amicis quendam graviter mæren-
tem videret, in arcem perduxit, bortatusq; est, ut per
omnes subiectorum in urbe edificiorum partes oculos
circumferret, quod ut factum animadvertis: Cogita
nunc tecum, inquit, quām multi luctus sub his tectis olim
fuerint, bodieq; versentur, in sequentibusq; seculis sint
babitaturi, & mitte mortalium incommoda tanq; am
propria deflere. Quā consolatione demonstravit, urbes
esse humanarum cladium consepta miseranda. Valer.





C. D.

Lusissimè penè στίχοι spes vestras, Viri,
qvà Reverentia, qvà Virtute, eruditione
præclari; Nam ut taceam labores & cu-
ras, qvas publica & privata mihi impo-
suit necessitas, easq; ve concatenatas, certè
tempora minus æqva, minus benigna, acerba, calami-
tosa, tristissima interencionis, omnem facundiam
etiam disertissimis oratoribus adimere, tollere solent;
Perverterunt ea solum, cui institimus olim, congressus
jucundissimos, utilissimos Theologicos, & qvos annis
abhinc aliquot junxerat Theologicus candor, & amor,
disjunxit, dispunxit, & exfortes si non ævi, conversa-
tionis tamen, fecit αβαδών pernicies, pestis δευτερομάστηξ. Sic
ergò plectere debebat humana facinora Nemesis di-
vina, qvæ naturam virtutum induere, falso, vano ni-
sū, & giganteo ausū præsumsere. Proh Deum! qvàm
insolito & ad Viri ætatem incognito flagello exceptit
nos furor divinus; Certè qvæ derepentè, & subitò
obveniunt hominibus mala, & qvæ longo tractu an-
norum latuerunt, irruunt tamen, obtundunt non pa-
rùm mentes humanas. Vidisses in bivia raptos mi-
seros mortales animos, consilii, opis, auxilii inopes,

A 2

iner-

inertes, inter spem & metum singulis momentis positos; Non enim tardo pede gradientem vidimus, utinam nunquam vel per transennam videre contigisset, sed uno ferè tractu tot tecta obsedit, non sine comminatione extremæ πανολεθείας. Contabuerunt animi, contabuerunt corpora, pallebant ora, subfuscæ & lividæ facies, tremebant artus, demissæ manus, pedes ad spithamam officium facere non valuerunt, coerciti congreſſus, necessitates omnes præclusæ, & qvos sangvis, vel affinitas, vel humanitas junxerat. Excedunt urbe, excedunt non pauci vel jussu, vel metu, vel voluptate ducti; cum insolens non sit, calamitatem publicam velificare improbis. Oppressulan-
tur ædes, prospicitur de vespillonibus, & pollinctori-
bus, & qvos præmittere debebam, cura animarum, &
corporum committitur viris, qui secundos post ex-
cessum, non reliquerunt. Provenit malum primum,
& erupit è navigio, secundum è sublimi, turri scil. Sic
ergò per ima, per sublimia fatigare nos, & ad men-
tem meliorem redigere tentavit DEUS! Sævit perti-
nax malum, miro saltu, primum urbi aliqvid detu-
lit reverentia, suburbana enim tantum pulchritudine ostia,
casulas, rugiolas, displicuit paupertinum hospitium,
irruit, imò involat ipsam urbem, & fulminis ad in-
star mirissimos saltus egit modò in hanc, modò in
aliam partem civitatis. Bone sancte DEUS! quan-
ta

tæ hinc distractioñes, concussions animorum sim-
pegit venator callidus, virulentus, hastam, & fe-
riit modò hanc, modò illam ædem, domum, &
en mi bone, tot confixit, tot confecit miseris mor-
tales. Hinc ædes familiis olim refertæ, prostant
numero non paucæ, sine incolis, mole suâ mox
ruituræ, cùm vel nulla eas perflet aura liberior, ne-
mo januas per cardines agitet, ingrediatur nemo,
egrediatur nullus; fenestras agmina aranearum te-
lis in tantum obduxerunt, ut proclive non sit ape-
rire: tineæ, blattæ, pulveres successere incolis, &
veteribus colonis, qvos Libitina dira, acerba tri-
stis exire jussit. Profectò, qvæ humanis usibus
continuo motu non moventur, teruntur, facile per-
eunt, intereunr.

Ejecit ingratos æde sacrâ DEUS, qvem ejece-
runt cordibus facinora hominum. Coërcuit so-
num, sonitum, campanarum, qvæ vel horas indi-
carent, vel tempora stata orationis, vel ut qviesce-
rent, & expergefierent cives. Omnia tunc tristia,
sqvalida, Haccida omnia. Dimissæ scholæ, officinæ
Spiritus Sancti cessant, qvielcunt operæ scholastiq-
cæ; fungi enim officio non licuit, nè malum juven-
tutem invaderet scholasticam, qvæ somitis ad in-
star facillimè trahit, recipit venenum, & huic ma-
lo præ adultis citius subjicitur. Nullus inter tot

pericula, & mortis spicula, vel ad horam, dicam
minus, ad momentum vitam sibi polliceri ausus
est. Continuit ergo hoc pacto malitiam, scelera
hominum, effrenem libidinem & licentiam pec-
candi supremum Numen. Concurritur ad ora-
tiones publicas, personant ædes sacræ hymnis lu-
gubribus, lamentis, qvibus miscentur lacrymæ,
miscentur singultus, gemitus, pulpita sacra pecca-
ta mortaliū hoc malum induxisse clamant, my-
stæ sacri fatigant precibus DEUM, fatigant cives
sacri, averruncaret DEUS hoc latè serpens ma-
lum. Audit planctus, gemitus, singultus, ad-
mittit vota devota, Pater misericordiarum, sine se-
xus, ætatis, conditionis, dignitatis discrimine, im-
primis parvulorum, qvorum officium DEO lon-
gè est gratissimum, & ut est indulgentissimus Pa-
ter, etiam qvando nos probè qvatit, percutit, te-
ste Doctore Hipponeñsi, remisit aliquantulum de
vindictâ suâ. Agnoscunt grati, animo grato, cle-
mentiam hanc divinam curatores animarum,
qvam etiam suis auditoribus, & ut coeptam telam
pœnitentiæ proseqverentur, neqve insisterent pri-
ſtinis viis, commendant ſedulò, peraſſiduè. Ve-
rūm ut vani terricolæ minimis licet fortunæ se-
cundæ indicinis, ſecuri & immemores DEI, ejus-
qye beneficiorum redduntur; Sic etiam indulgen-
tia

tia divina statim sui apud pessimos obduxit obli-
vionem. Concitationi ergo gradu proseqvitur
DEUS peccatis lucessitus, pristinas pœnas, exfor-
tes fiunt hujus ævi, non pauci, rapit sæva mors
plures, rotæ ferales, sandapilarii, tollunt noctu,
qvos sustulerat infaustissimus, tristissimus, feralis
dies. Perstrepunt, personant planctus plateas,
ædes, orbi lugent suos, & itineri ferali se accin-
gunt, propediem suos, qvos præmiserant, secutu-
ri. Interim nè lues vicina inficeret loca, cingit
nos miles eqves, cingunt, qui stipendia pedestri
militiâ merent, nullo habito discrimine persona-
rum. Non fuit fas, suos, & sua invsere, bona
nostra cessere malefidæ curationi, & administra-
tioni iniqvorum operariorum. Jacent literæ, ja-
cent studia, & operæ domesticæ, mechanicæ, jacent
omnia, undè alias paratur vietus, amictus, & vi-
etui humano necessaria; nemo enim rerum illa-
rum indigus, qvod in horas expectaret excessum,
& exitum, non jam de commeatu hujus vitæ am-
plius sollicitus, & jam desineret inter homines
esse. Inde lerna miseriarum, egestatis, paupertati-
ris, penuriæ, & nisi DEUS, & vicini desideratissi-
mi prospexit, & suppetias tulissent necessitati
communi, vereor, nè plures fames, qvam pestis
sustulisset. Non quidem ad tantas incitas reda-
ctus

Etus ego, & qvos tum paucos alui; Vestrâ tamen
benevolentiâ, & munificentîâ, Confratres dilectissimi,
suffultus, qvæ non parum levavit, fovit,
qvod in confessu hoc, & solemini panegyri, gra-
tus agnosco, & gratias solvo decentes. Æstus
intensissimus, & mox nimboſa, & inter ſe permis-
ta, & currentia tempora, tempeſtas naturæ hu-
manæ alioquin inimica videbatur exacerbare ma-
lum, ſed hæc mirè variegata tempora, præter
omnem humanam ſpem initium ſalutis noſtræ.
Sic novit περὶ νοιῶν divina, ex malis, & duris, elicere
optima.

Remifit pedetentim, pedetentim inqnam;
qvod nos exercuit malum, non enim tam celer
Averrunci, qvam afflictoris gressus. Surrexit ali-
quantillum, certè aliqwantulum ſpes liberationis,
& libertatis, crescit indies, crescit in horas, mo-
menta, ſed heu! mox concidit, qvæ modò surre-
xerat. Coërcuit, vel potius ſufflaminavit ferè
obtentam fallus rumor, malevolus, invidens no-
bis felicitatem noſtram. Detinemur, ſi non vin-
eti, cincti tamen, detinemur' iterum iterumqve,
& qvidem plus ſolito arctius, & ſuccollatâ omni
ſpe, detinemur. Sic verè, mox libertas fruſtrâ
ſperata, mox protelatio, nos ſuſpēſos habuit, te-
nuit. Soluta tandem ſic gratiōſe volente & diſ-
ponen-

ponente DEO octimestri ferè obsidione, cum SERENISSIMUS NOSTER, cui DEUS longiorēm vitam, annosqve felices, & de nostris annis EI adaugeat annos, *et aeternos*. Auguste DELIS Te servet! amplius ineertum rumorem, & lingvas malevolas ferre non posset. Solvuntur excubiæ, solvuntur diurnæ, nocturnæ, abducitur miles ferè confectus, langvidus, lividus, pallidus, si non fame, tamen intemperie temporum, ad nauseam usque vexatus, patet nobis immunis introitus, & exitus, sed non nisi ad agri nostri districtum: Vicina enim loca adire, salutare, non erat fas, non concessum. Obtentum demum & hoc libertatis momentum, & denuò excludimur Dresdâ, excludimur Lipsiâ, excludunt oppidula, pagi, donec tandem multis precibus, protestationibus, obtestationibus, qvibus Serenissimi fatigavimus aures, plenam libertatem eundi, redeundi, iter faciendi quā vellemus, obtinuimus. Sed vix evasimus miseri & en! vicinos nostros longè dirius, & inclemens quatit, & terit malum

Autumnusq; gravis Libitina qvæstus acerbæ,
& tollit longè majori numero bonos, & eos, qui superesse usibus humanis longùm potuissent. En novam materiam luctus! Vicina siqvidem mala, facile fieri sverunt domestica, & si annalium fides

B

tuta,

tuta, fecit aliás lues talis ad annos qvam plureis progressus. Videtur eqvidem *Plinius lib. 2. c. 10.* *bistor natur. observasse*, teste *Paulo Zacchia, Medico Roman. qq. Medico Leg. l. 3. tit. 3. qv. 2. n. 44.* pestem non excedere 3. Menses. *Cardanus etiam lib. 2. subtil.* *Bugarutius de peste*, nullam pestem ultra trienium lævire. Refutantur à *Scaligero*, *Tolosæ adventitiam pestem septennium perdurasse*. *Scaliger narrat.* *Galenus se longissimam pestem expertum.* Pestis anno 1450. vix tertiam partem hominum superstitem reliqville *Forest. 6. observ.* Anno 1525. sudor Anglicus 6. annis duravit. Genevæ per septennium pestem sæviisse refert *Bodin. Dæm. q. c. 4.* *Valesius 7. Epidem. per Hispaniam 11. annis.* Extendunt alii tales pestes ad annos 20. 30. Anno 1611. & 1632. aliquot annis oras has vexavit hæc pestilentissima lues. DEUS meliora! Nostrum erit multijuges ad DEUM concitatum, incitatum, exacerbatum peccatis nostris, fundere, solvere preces, pœnitentiæ tam seriae, veræ haud immemores

Placatum miseris quæ facit esse DEUM.

Placemus, conciliemus, comparemus nobis superum Regem, quem criminè nostro læsimus. Exuamus fastus, moresque sinistros, & incipiamus paulatim astivescere recto. Et sic cessabunt plagæ, non erit locus pœnis, suppliciis nullus. Sic propitium

Numen

Numen terque quaterque beatos, ab omni parte
beatos reddet. Fortuna serviet ad nutum, crebre-
scent optatæ auræ. Experiemur veritatem, & even-
tum dicti, voti: *Auspicio ut felix totus ut annus
eat. Venit post multos una serena dies.* Ergo

*Tu quamcunq; Deus Tibi fortunaverit horam
Grata sume manu.*

Erigamus tabulas votivas, suspendamus donaria
olim irato, nunc composito, placato, sedato Nu-
mini; qvalia exigit Sacer Vates, exigit Regius Psal-
tes: *Sacrifica DEO gratias, & solve vota,* vota au-
tem divinis jussibus suffulta, mandata, non in ce-
rebro nostro nudius tertius nata, non ea, qvæ è su-
perstitiosis lacunis fluunt, non ea, qvæ meriti cha-
racterem habent, non turpia, non ludicra, non ma-
lis artibus parata, non centones è furtis, rapinis,
fraudibus consarcinatos, non vota, promissa eqvi-
dæ, sed nunquam exsolvenda, innania & fallacia
contrahentes nomina. Oneravit lane cæca gen-
tilitas, fictitia, & vana, sua Numinæ vel plaustris vo-
torum, juxta, & donariorum, magnam jacturam
sumptuum, operarum faciens, commodi reportans
nihil, contra indolem communem mortalium, qui
non nisi certis remunerationibus & redhostimen-
tis comparantur. Donariorum variam suis lema-
teriam, docet eruditissimus Jacob Philipp. Toma-

B 2

sinus

finus de Donariis & Tabellis votivis, a jens. Etsi verò de horum materia nihil certi constitui possit, cum proculdubio cum fortuna, conditio mortaliū variaverit, verisimile tamen est ea magnave parte fuisse testacea, qvemadmodum hodie apud plebejos cerea. Qvod persuadet ingens eorum numerus, qvæ nostra memoria conspiciuntur, effossa Nemi in fundo Nobilium Frangipanorum, atqve & Prænestinis, ubi olim Fortunæ templum erat, vel etiam figulina, qvalem Romæ fuisse, ubi libri, et sigilla venibant, tradit Turnebus Adversar. Lib. XXIII. c. XXIX. &c. Cujusmodi etiam qvippiam de Murteto, loco Veneris cultu celebrato scribit Julianus Aurelius de Cognom. Deorum lib. II. cap. IV. De Templo Dianæ Nemorensis copiosè, ac erudite scripsit ad laudatum Tomasinum V. C. Joannes Argolus, cuius integrum Epistolam subjungit. *Species Donariorum* variae. *Sæpius erectæ ædes.* Euleb. Vit. Conit. M. lib. 4. *Romulus* Jovi Feretrio in Capitolio templum dicavit. *Livius* l. I. Juppiter Feretri, *inquit*, hæc tibi victor Romulus Rex Regia dona fero, templum iis regionibus quas modo animo metatus sum, dedico &c. Hujus ad cellas Junonis & Minervæ fuisse additas, in d. catè in multis vetus Inscriptio ex voto facta in agro Mediolanensi.

JOVI.

JOVI. O. M,

JUNONI.

MINERVÆ.

Q. V. G. V. S. L. M.

Item Romulus *Jovi Statori* Templum ex voto condidit. *Jovi Tonanti*, ædem Octavianus conservavit. Svetonio teste. Saturnum & Opis templum Tullium Hostilium, eo etiam tempore vovisse, quo cum Sabinis bellum gereret, teste *Dionys. Halicarn.* *I.3. Macrob. l. i. Saturnal. Plutarch. in Vit. Marcell.* Junoni Regine, ex spoliis de præda à Vejentibus pacta, Templum à Camillo Dictatore votum tradidit Livius. Ædem *Honoris, & Virtutis* etiam M. Marcellus vovit. *Livius Dec. III. Plutarchus in vita. Apollini*, Cæsar Octavianus Isidi & Osiridi formulam dedicationis tradit Josephus Scaliger ad Festum Castigat. **TEMPLA. TESCAQ. INCITA.** SVNTO. QVA. AD. EGO. CASTE. LINGVA. NVNCVPAVERO. OLLA. VETER. ARBOR. QVISQVIS. EST. QVAM. ME. SENTIO. DIXISSE. **TEMPLVM. TESCVNQ. ESTO. IN. SINISTERVM. OLLA. VETER. ARBOR.** QVICQVID. EST. QVOD. ME. SENSIO. DIXISSE. **TEMPLVM. TESCVNQ. ESTO. IN. DEXTERVM. INTER. EA. CONREGIONE. CONSPICTIONE, CONTUMIONE. VT. ET. RECTIS-**

B 3

SIME.

SIME. SENSI- Sed & Aras voverunt, Statuas, Palladia, Effigies Deorum, Fora, porticus, Bibliothecas. Erant vero vota Natalitia. Natalitii Dii erant præcipue Juppiter & Juno, etiam Neptunus.

Sed & Ludos, Decimas, Hecatombes & alia Dona ad vota spectabant. De *Ludis* Augustinus C. D. l. 18. c. 12. Solennia qvibus voverentur, describuntur à *Livio* l. 39. Erant verò *Ludi magni* in honorem Jovis à Q. Fabio Maximo Dictatore de Carthagine habita voti, ævis 333 millibus, bobus Jovi 300. Hic que *Quinquennales*, *Decennales*, *Vicennales*, *Seculares*, *Ludi Victoriae*, *Apollinares*, *Juvenales*, Nero instituit, cum barbam poneret, *Juventutis*, *Triumphales*, *Natalitii*, *Sacri*, *Miscelli* Vovendiratio. Fiebant deprecatione, vel adoratione. Quidam enim humi, Persico more prostrati, vota peragebant, alii ad imitationem Hæbræorum, inclinato capite, flexis genibus alii, alii manuum protensione, & elevatione, alii capite velato, alii tæto, aliquando inter sacra vestes ad aures usque attollere solebant, Pauperculi compressis eriam dactilo dexteræ labiis, & osculis, alii barbam tangere solebant, alii stantes, alii tacitè murmurantes &c. *Locus Anathematum*, modò columnis, parietibus, postibus, modò tholis ædium fastigiis, Imperatorum statuis affigebantur &c.

Jam

Jam excipe variavota variorum: Parentum
pro Filiis vota. Puerorum vota, & potissimum Ca-
pillitia, Virginum, Nuptarum, Parturientium,
Conjugum, Amatoria, Convivantium, Legato-
rum, Populi pro Principe, pro Patria, pro Imperio,
pro Civibus. Donaria Diis oblata ab Imperatori-
bus ante & post bellum, Triumphantium, ac Mili-
tantium, agricolarum, & Villicorum. Erudito-
rum, Laborantium, Navigantium & Nantarum,
Vinitonem, Nymphis oblata, Hortos Colentium
vota, pastorum, Venatorum, Piscatorum, Artificum,
pro ægrotantium salute, Senectutis. Diis Manibus
oblata, Servorum, Ancillarum, Gladiatorum vota
immania, nefaria, temeraria, jocosa, scelerata, mul-
ctatitia &c. Qvantus imber votorum? Vota Chri-
stianorum, non è trivio sunt, altius quid spirant;
sunt verò: grato animo agnoscere cumulum benefi-
ciorum divinorum, vovere Deo gratias, neqve im-
memorem esse, vovere vitam piam, Christianam,
vovere odium ἀσπόνδον, idqve denunciare peccatis,
& inceptoribus, Diabolo, mundo, præfractæ, & pe-
tulanti voluntati, inclinationibus & suggestionibus
pessimis. Hæc vota, donaria, sacrificia Deo litantes
ab omni vibratione ferali immunes faciet. Cæte-
rūm non dememini, me hactenus in hoc confessu,
& Conventu Venerabili, verba fecisse, ex historia

ZALTAZO CHA Theo

*210
1441
64*

Theologicā, initiumqve sumfisse de Exaltatione & inventione Crucis Dominicæ. Exaltationis siquidem Crucis Dominicæ tempus, initium nostri Conventus, absoluta hac materia, historiam Theologicam tradere cœpi, ut ortum, progressum, monumenta Theologiæ traderem, qvo labore B. noster Chemnitius laudabiliter defunctns est, ut de Locis Communis nihil dicam, in aureo suo *Examine Concil. Trident.* qvod *natura nostra* adhuc dum aggressus nullus; velitationes enim particulares, non constituunt aciem. Eant nunc neqve redeant, nisi melioribus, validioribus armis instructi, qvi Theonino dente arrodere, fculneis telis confodere tam clarissimas operas attentarunt; Constatit certè operi exasciato, & consummatissimo, sua dignitas, ad invidiam usqve malevolorum. Telam hanc Historiæ Theologicæ quam aggressus olim, pertexissem, & prosecutus fuisset, nisi jam dicta, fatis calamitosis nostris sic exigentibus, bonam partem confecissent, qvare pensum residuum maximâ ex parte, revolutioni annuæ reservabimus.

Faciat nos omnes, qvos coronâ hæc cingit Reverenda, tempus desideratissimum supervivere, benignissimum, indulgentissimum & clementissimum Numen, cui summo

eadT DEO GRATIAS.

d. 89, 14.

X 2023659

D. MATTHIÆ
Superior
OΛΟΦΥ
Sive
PLAN
MISEN
Inter Spem
edit
In Venerabili
clb loc LXXXII.
& dica
Pl. Reverendo
M I S E
Sumptibus MICHA
Bibliopolæ
Typis, CHRISTOPHORI

